

44. Et probat primò assumptum ex Isaia cap. 30. sic iudicii signa divino afflatu augurante: *Et erit lux luna sicut lux Solis, & lux Solis erit septem pliciter, sicut lux septem dierum in die qua alligaverit Dominus unius populi sui.* Sed per alligationem vulneris populi Domini intelligimus perfectam, absolutamque mundi innovationem: ergo in die illa majora lucis incrementa accipient astra Coeli, sive lucidiora apparebunt, quam modò sunt.

45. Secundò ex Zacharia cap. 14. etiam suadet: *Et erit dies una, que nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vespera erit lux.* Sed dies nota Domino est iudicii dies, sive dies illa, in qua perficietur mundi innovatio: ergo si tunc dies ita erit una, quòd nulla sit varietas diei, & noctis, quæ modò est, sed assidua dies, luxque perennis, & perpetua, rectè colligitur, quòd astra Coeli majora tunc fulgoris incrementa recipient, quam modò possident.

46. Tertio id ipsum ratione ostendit Magister: Sol, aliaque majora, & minora nitida Coeli astra tantum post iudicium lucebunt, quantum in primà mundi conditione, septem dierum spatio ante primi hominis lapsum, eluxit Sol una cum aliis luminaribus Coeli; sed quòd minorata fuerit lux Solis, & lunæ, aliorumque syderum per primi hominis flagitium; sed tunc recipiet Sol mercedem sui laboris: igitur in die illa Sol, & luna, omniaque alia Coeli astra nitidiora surgent.

47. Quarto: Ideò lux Solis, lunæ, aliorumque syderum infirmam modò hominibus apparet, attenuataque se omnibus exhibet, quia in ipsa est vicissitudo diei, & noctis; sed perfecta mundi innovatione, erit lux absque ullà diei, & noctis, vicissitudine, cum tantum erit perpetuus dies, perennisque lux, & indeficiens: ergo omnia astra Coeli tunc pleniori, & uberiori fulgoris radio pollent, quam modò fruuntur.

48. Sed oppones primò Isaia cap. 60. dicentem: *Non erit amplius Sol ad lucendum per diem, neque splendor Luna illuminabitte.* Sed Isaia loquitur de tempore post mundi innovationem: ergo hanc perfectam, iam non erit Sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ per noctem: ergo perperam affirmat Magister, post mundi innovationem Solem, lunam, aliaque nitida Coeli Sydera majora lucis incrementa acceptura, quam modò habent.

49. Respondet Magister cum Hieronymo, Isidoro, aliisque hujus Isaia textus Interpretibus, quòd ibi non negantur lux Solis, lunæ, aliorumque syderum Coeli futura, sed usum beatis præstitura, quia eorum lumine non indigebunt, juxta illud ipsius Isaia ibidem: *Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Domi-*

nus in lucem sempiternam. Vel Isaia testimonium potest in alio aequè aptiori capi sensu, nempe, quòd lux Solis, & lunæ cessabit in illa die, sive post iudicium quantum ad motum, non quantum ad lucem, sive fulgorem.

50. Oppones secundò: Lux Solis in primavâ mundi constitutione non excedebat fulgorem, quò nunc pollet, tantum quantum Sol excedit lunam: ergo Solis, aliorumque syderum lux non erit post iudicium major, ac modò est. Antecedens probatur: Si in primâ mundi constitutione ita eluxisset Sol, quòd lux illa excederet fulgorem, quò nunc pollet, quantum Sol excedit lunam, profectò luna tunc eluxisset, sicut modò Sol; sed hoc repugnat, aliter tunc nulla fuisset nox: ergo cum corpora celestia suam debeant proportionem servare, non bene exponit Magister in litterâ, quòd post iudicium lucebit Sol una cum aliis syderibus, quemmodum in primavâ mundi conditione, spatio septem dierum ante primi hominis peccatum, eluxit.

51. Respondetur pro Magistro, quòd ejus expositio una cum textu Isaia cap. 30. nuper allegato, non dicit similitudinem, sed qualitatem; quia qualitas lucis post iudicium erit amplior, quam modò est; erit quemadmodum fuit in primâ mundi constitutione: Etiam homo erit melior in Cælo, quam fuit ante peccatum in paradiso. Unde, et si Isaia scribat: *Et erit lux luna sicut lux Solis, & lux Solis erit septem pliciter, sicut lux septem dierum;* & sic appositè ipsum exponat Magister, intelliguntur de incremento lucis, quòd accipient post iudicium usque ad concinnam, & perfectam additionem; & non de quocunque alio incongruo, improporcionadoque fulgoris augmento.

52. Oppones tertio: Ex Genesis cap. 1. expressè constat, Deum duo fecisse luminaria magna, ut præfessent diem, ac nocti: ergo cessante nocte, simul debet cessare illud luminare majus, cui datum est præfesse nocti: ergo cum debeat nox cessare post iudicium universale, nullum tunc lumen emittet luna, cui exhibitum erat præfesse nocti: igitur Solis, lunæ, aliorumque syderum adaugebitur lumen.

53. Respondetur, sacrum Genesis textum non expendere rationem productionis lunæ que ad substantiam, dum ait factam esse ut præfessit nocti; sed tantum innuit paucitatem luminis coherentem nocti: Unde hoc luminare, luna quippè, secundum substantiam suam conditum est à Domino propter universi perfectionem; & quoniam tunc nulla erit nox, sed dies perennis, & perfectus, dabitur lunæ fulgor competens diei, quale est lumen Solis, & micans splendor Solis gliscet usque in perfectum diem.

54. Oppones quartò: Cœli unâ cum astris peribunt post iudicium; sed ex eò quòd pereant, eorum lux non poterit excrefcere: ergo Solis, Luna, aliorumque syderum fulgor non glifcet post iudicium. Major probatur ex Psalmo 101. dicente: *Et Tu in principio terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt Cœli: Ipsi peribunt.* Ergo Cœli unâ cum syderibus peribunt; ac proinde eorum lumen augeri non poterit.

55. Respondetur cum Seraphico Doctore negando Majorem, & Consequentiam. Nam Cœli, eorumque astra, & sydera non peribunt realiter, sed metaphoricè, idest, non per defitionem, sed per innovationem, quia pulchriora, & innovata apparebunt, ut liquet ex ipso Psalmo de eisdem etiam dicente: *Et sicut amictum mutabis eos, & mutabuntur.* Ubi de illorum innovatione, & non distitione Regius alloquitur Vates.

56. Demùm Magister ad distinctionis calcem, unum supponit, & aliud inquirit. Supponit, quòd post iudicium universale Sol, luna, aliaque Cœli sydera omninò quiescent. Et probat primò ex Isidoro lib. 1. de Ord. creat. cap. 5. sic affante: *Lucebit Sol septemplexiter, & non veniet ad occasum nec Sol, nec luna, sed in ordine, quò creati sunt, stabunt.* Ergo Cœlorum motus omninò cessabunt unâ cum astris ibi consistentibus.

57. Secundò probat ex Habacuc cap. 3. sic vaticinante: *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo,* idest, in ordine suo, quò creati sunt; sed ex eò quòd sic steterint, omninò quieti vacabunt, nullumque motum exercent: igitur post iudicium universale omnia luminaria majora, & minora ab omni motu cessabunt; sicque ibi in æternum permanent.

58. Tertiò, aliis rationibus, sive congruentiis Magistri ratiocinium exornari poterat: Cœlorum, astrorumque motus ex vi eorum creationis ordinantur ad complendum numerum electorum prædefinitum à Deo; sed peractâ mundi innovatione, post iudicii extremum diem, cunctus electorum prædefinitus à Deo explebitur numerus, ut ex Apocalypsis cap. 7. constat: ergo eò tempore adveniente, Cœli, & astra suo motu desistent.

59. Confirmatur: Omnis motus in aliquem extat ordinatus finem; ergo assequuto fine, incassum est motus ad illum; sed finis motus celestium corporum aut est, quia electorum numerus prædefinitus à Deo expleatur, aut propter continuam rerum generationem: ergo his cessantibus, illicò celestia corpora motu suo absistent; sed absolutâ mundi innovatione, totus electorum numerus, omnisque rerum genera-

tio undique explebitur: ergo tunc omnis Cœlorum, astrorumque motus ad terminum protrahetur.

60. Sed dices: Cœlorum motus est orbicularis; sed orbicularis motus est per naturam interminabilis: ergo motus Cœlorum ex naturâ eorum est interminabilis; sed Deus per gloriam non destruit rerum naturam; imò modo mirabili eam reficit: ergo si Cœlorum natura est interminabiliter moveri, adhuc post extremum iudicii diem quieti non vacabunt Cœli, nec suo astra absistent motu.

61. Respondetur negando Minorem, & duplicem Consequentiam. Quia, cum natura motus Cœlorum, aliorumque syderum sit regulata secundum institutionem divinam, terminabilis est, eò quòd sit finita, & limitata; quanquam non sit terminabilis ratione termini, qui respicit condiciones mobilis, & spatii. Caterùm, cum hæc suum tunc perfectè assequantur terminum, & finem, extemplo totum eorum sistit opus.

62. Inquirit tandem Magister, si Cœlorum, syderumque motus omninò post iudicium cessabit, qualis erit tunc usus lucis Solis, lunæ, aliorumque planetarum? Et respondet his verbis, quibus præfenti distinctioni colophonem imponit: *Fateor me ignorare, quia in Scripturis non memini me legisse.* Tamen dicimus, Cœlos, & astra cessare quoad motum; quoad esse autem manere semper ad Omnipotentis Dei gloriam, & universi decorem. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QUESTIONES.

63. **Q**UÆSTIO 1. An Christus Dominus apparebit in iudicio visibilis, & gloriosus? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 48. q. 1. art. 4. & in Supplement. q. 90. art. 2. Nazarius tom. 6. tract. de iudicio, 3. p. 9. 7. Divus Antoninus 4. p. tit. 14. cap. 11. §. 5. Paludanus in 4. dist. 47. q. 1. art. 1. Lezana verb. iudicium, num. 14. 64. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 47. q. 1. Poncius tract. 5. disp. 19. q. 10. Brancatus tom. 4. disp. 10. art. 4. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. iudicium, num. 15. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 47. q. 2. art. 1. & seqq. Carriere tom. 1. art. 7. q. 3. 65. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 53. sect. 2. & seqq. Valentia tom. 4. disp. 21. q. 4. punct. 1. Tannerus disp. 2. q. 4. dub. 3. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 48. q. 2. Abulens. q. 330. in cap. 25. Matth. Gaudentius tom. 6. disp. 43. q. 16. Bassæo verb. iudicium, num. 11. & seqq.

66. **Q**UÆST. 2. An in valle Josaphat, sive in alio determinato

loco sit iudicium finale peragendum? Ex Angelica Scholâ D. Thomas in 4. dist. 48. q. 1. art. 4. & Opuscul. 60. cap. ult. Paludanus in 4. dist. 47. q. 1. art. 1. Lezana verb. iudiciam, num. 15. Nazarius tom. 6. tract. de iudic. in 3. p. q. 8. D. Antoninus 4. p. tit. 14. cap. 11. §. 5. & seqq. in 67. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 47. q. 1. Brancatus tom. 4. disp. 10. art. 3. Carriere tom. 1. art. 7. q. 3. Cotonius tom. 1. lib. 5. Contr. 1. cap. 1. art. 1. Poncius tract. 5. disp. 19. q. 10. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 47. q. 3. art. 1. Castillent. in Polyant. Seraph. verb. iudicium, num. 16. & seqq.

68. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 53. sect. 3. & seqq. Valentia disp. 21. q. 4. p. 2. Tannerus disp. 2. q. 4. dub. 3. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 48. dub. 1. Alensis 1. p. q. 25. memb. 2. Abulen. q. 331. in cap. 25. Math. Gaudentius tom. 6. disp. 43. q. 23. Balzo verb. iudicium, num. 12.

69. QUÆST. 3. An damnati videbunt humanitatem Christi Domini gloriosam? De quo, hic q. 1.

70. QUÆST. 4. An, & quomodo mundus sit renovandus, purgandusque per ignem? De quo, dist. 47. q. 15.

71. QUÆST. 5. An iudiciaria potestas primò & per se toti Trinitati conveniat? De quo, dist. 47. q. 11.

72. QUÆST. 6. An Christus Dominus erit in iudicio finali secundum divinitatem visibilis? De quo, hic q. 1.

73. QUÆST. 7. An Christus Dominus apparebit in nube, & ex qua materia fiet? De quo, hic q. 1.

74. QUÆST. 8. An, & quomodo in die iudicii Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum? De quo, dist. 47. q. 2.

75. QUÆST. 9. An, & quæ signa præcedant iudicium generale? De quo, dist. 47. q. 2.

Et omnes aliæ quæstiones, quæ pro distinctione 47. excitantur;



DE DIFFERENTIA MANSIONUM IN Cælo, & Inferno.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-NONÆ SYNOPSIS.

Judicio factò, geminas fore credimus urbes;

E quibus hæc diti cesserit, illa Deo.

Sic incipit: Post resurrectionem.

Sic terminat: Quod fuit sarcina.

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de formâ, & majestate iudicis, aliisque ad iudicium pro illius plenâ, & perfectâ expletione spectantibus; sed in præsentî determinat de bonorum, ac malorum finali remuneratione: ergo rectè inter se præfatæ consonant distinctiones.

2. Consequentia probatur: Ad pleni, perfectique iudicii essentiam spectat, ut quamprimum à iudice expletur, executioni mandetur remuneratione per ipsius sententiam facta; sed Magister in superiori distinctione egit de formâ, & majestate iudicis, aliisque spectantibus ad iudicium pro illius pleno, perfectoque complemento: ergo in præsentî determinare de bonorum, ac malorum finali remuneratione per iudicis sententiam sancitâ, haud dubiè rectum ac congruum erit servare ordinem.

3. Dividitur hæc præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ Magister, remunerandorum, scilicet beatorum, ac damnatorum inæqualitatem meriti, & præmii distinguit. In secundâ verò declarat, qualiter omnibus insit beatitudinis desiderium. In tertiâ autem, & ultimâ ostendit, quomodo Sanctorum beatitudo erit maior post iudicium, ac modò est.

4. PRO PRIMÆ igitur partis ostensione, hoc primum præfigitur theorema: Sicut beatorum civitas post iudicium erit complenda inæqualibus gradibus gloria; ita damnatorum civitas inæqualibus gradibus pœnæ. Hoc deducimus ex Magistri textûs litterâ, ubi duas post uni-